

v.19.

II. carentia boni, quod parit industria: nempe panis & vini, ad letitiam & hilaritatem comparati; & argenti, quod omnia necessaria siltat & q. respondere faciat (est enim hiphil ut sup. c. 5. v. ult.) vocantibus, hoc est, suppeditet ex voto. v.19. Hebræi exponunt per *invenire facit* seu præbet. *Faciunt. Man erwerbts.* Impersonalis locutio. Sensus. Industriâ parantur ista. Sic verbum *facere* Gen. 12:5. 31:1. Deut. 8:17. Ne negligas ellipsin pronominiis relativi in duobus posterioribus colis.

v.20.

III. vitio ex ista matre nascenti, quod est oculus malus; qui in duplici specie hic exhibetur:

aa. invidia & odio alieni boni, nimirum dignitatis & opum. Dehortatur à vitii istius actibus, tanquam signis; cum indicatione modi, quo ii solent patrari ab invidentibus, & noxæ inde sequuturæ. v.20. *Ne maledicas regi vel in conscientia tua,* non modò voce, nullo arbitro; sed ne affectu & cogitatione quidem *ἢ πὶ σεαυτῆ μόνου σιωπῆδὸτ*, & in penetralibus cubiculi tui ne maledicas diviti. Invidorum est, aliis dignitatem & opes possidentibus maledicere; sed clanculo, timore potentia illorum. Satis intelligi hic potest affectus illorum, qui, quum sibi vitæ præsidia & subsidia per ignaviam non paraverint, ab aliorum opibus pendent, iis tamen, sive negligantur sive opprimantur, apud animum suum maledicunt, sive apud Deum iracundis votis mala imprecantur. quod nō fit, nisi indignatione illis cedendi & vera invidia; ut docet Elihu Jobi 35:9. 10. Noxa in illis est. Nam vocem, si vocem audaciùs adhibueris in penetralibus tuis, *vehet volucris,* & sermonem, quem cogitaveris, *indicabit ales,* hoc est, quod quàm occultissimè à te dictū putaveris, hoc alteri ita mirè innotescet, quasi avis testis arbiterque sermonis tui indicare potuisset: vel Dei justo iudicio fiet, ut Diabolus in cordibus illorū, quibus infensus es, malas suspensiones & odium tui accendat, illique, animadversis signis, animum tuum inveniant & assentationem externam detegant. Sic enim fieri solet, ut peccatoribus hoc eventat, quod timent; & non dico, injusta, sed indecentes diræ in potentiores in caput ipsorum per eosdem recidant. Quod & Elihu inculcat Job. 35: 12.

cap.XI.

v.2.

bb. neglectu egenorum. quem hic insinuat per modum imprudentiæ pugnantis cum prudentia, quæ in bono-